

quelle bonne affection désirez manifester toute prompte volonté à faire tous offices pour entretenir et accroistre ceste amitié et bonne intelligence entre nostre bon frère le roi, vostre maistre, et nous, digne de personage tenant le lieu de quoy luy a pleu vous honorer. Dont, marchant de bon pied, il en sortira indubitablement honneur et proffiet au bien réciproque de nostrediet bon frère et de nous, nos pays et subjects, vous advisant qu'en ferons la revanche de eeste courtoisie en vostre endroiet ou recommandation, quant en voudrez faire la preuve. Et, ne voullans pour cest heure vous tenir plus long propos, nous pryerons Dieu vous tenir, mon cousin, en sa sainte protection.

De Kenelworth, ce xi^e jour de juillet 1575.

(Archives du Royaume à Bruxelles. — Publié par M. Gachard, *Corresp. de Philippe II*, t. III, p. 535.)

MMDCCCCLV.

Daniel Rogers au prince d'Orange.

(DORDRECHT, 12 JUILLET 1575.)

Nombreuses plaintes de marchands anglais contre les marins de Flessingue. — Plusieurs capitaines qui ont servi en Hollande réclament aussi ce qui leur est dû. — La reine d'Angleterre espère que le prince d'Orange veillera à ce que ces actes de violence et de piraterie ne puissent pas se renouveler.

Inter querelas quæ Serenissimæ Reginæ Angliæ, etc., contra eos institutæ et factæ sunt, qui auspiciis Excellentie Vestræ mare oberrant, plurimæ sunt quæ Curie Admiralitatis autoritate confirmari, ob temporis brevitatem, nequierunt: quarum eorum Majestas Sua non minus meæ fidei commendavit quam quas sigillum Admiralitatis obsignavit, quibus querelis ut Vestra Excellentia commodius medeatur, diversam earum naturam hoc scripto comprehendam.

Frequentissimæ omnium querelæ oriuntur ex eo quod Excellentia Vestra superiori anno, mense maio, edictum promulgarit, quo accessus eum mercibus in Flandriam Anglis interdicitur, quod edictum ex diametro pugnat eum privilegiis quæ aliquot sæculis Angliæ genti indulta fuere, quæ Serenissima Regina nullo tempore ab ullis violari passa est. Jam vero, cum Angli virtute privilegiorum in Flandriam sæpenumero

trajiciant a Vlissingensibus, Indies intercipiuntur, quorum bona fiseo mox adjudicantur, quod hoc Vestrae Excellentiae edictum transgrediantur, quo se teneri non existimant. Serenissima autem Regina miratur voluisse Vestram Excellentiam publicato edicto ita aperte privilegia infringere, quae a suis majoribus ad Suam Majestatem transmissa inviolabiliter Suae Majestati conservanda sunt. Merito igitur postulat restitui subditis quae hoc modo illis crepta sunt, et, ut Vestra Excellentia caveat ne imposterum privilegia ea violentur a suis, requirit, quae Sua Majestas omni studio tueri debet. Qui vero hae ratione conqueruntur, minime ii sunt.

Alii conqueruntur spoliatos se fuisse, antequam edictum illud maii publicaretur, quo violato Vlissingenses confiscationem praetendunt. Ex quorum numero sunt Thomas Castellinus, Joannes Favor, Gulielmus Ramseus.

Nonnulli sunt qui sancte jurant ignoratissimos se publicati edicti fuisse, ac licet ignorantia legum, ut vulgo dici solet, violatorem non exusat, peregrinos non perinde ac indigenas condemnat. Jure equidem horum ratio habenda est, cum ob distantiam locorum edicti hujus in seii fuerunt, qui jure hoc edicto non tenentur, eum (ut dictum est) virtute antiquissimorum privilegiorum Angli commercia consueta cum Flandris exercent, quorum simili virtute Hollandis et Zelandis reciprocos in Serenissimae Reginae regna patet accessus. Qui autem ignorantiam praetendunt, sunt Joannes Selwood, Nicholaus Martinus, Exonienses ambo ac longissime a Londinensibus dissiti, Thomas Castellinus, Henricus Pasmiche, Gulielmus Salkins, cum consortibus suis.

Sunt alii qui conqueruntur graviter vim sibi fuisse illatam ac fortunas sibi creptas qui in Hollandiam et Zelandiam recto cursu navigarunt, ex quorum numero sunt Aegidius Simons et Joannes Marshall, nec non Joannes Martson et Gulielmus Wadsworde, qui praeter edicti tenorem se spoliatos bonis sive indignissime tractatos fuisse dolent.

Alii, dum in Gallias et Hispanias ex Anglia proficiscerentur, bonis suis se fuisse exutos contra voluntatem Excellentiae Vestrae probarunt, ut Joannes Castelinus et Joannes Barkerus, Ipswicensis, alique plurimi, quorum nomina particulari libro Admiralitatis Britannicae sigillo obsignato continentur, depraedatos se fuisse probarunt, dum ex Hispania in Angliae portus reverterentur.

Praeter hos alia ratione spoliatum se conqueritur Thomas Laurence, cum veniam a Vlissingensibus impetrasset ut ex Flandria in Angliam suas merces transmitteret, cujus querelam inferius latius explicabo.

Alia est ratio eorum qui vel pecunias Statibus Hollandiae vel Zelandiae crediderunt aut merces suas divendiderunt, qui debita sua certis obligationibus Statuum comprobata recipere nequeunt, quorum nomina in fine subjeciam, quot quidem mihi nota sunt.

Particularis vero est querela Ferdinandi Points qui, cum saccarum magno numero a Vlissingensibus sub initium horum tumultuum emit, pro quo illis solverit parata pecunia partim, partim aliis rationibus, intelligit Vlissingenses residuum aliquod debiti

hujus soluti prætere et exigere, eum rationibus subductis probare possit Vlissingenses ipsi debere.

Ac hæc quidem querelæ maxime spectant ad mercatores. Inter vero alios Majestatis Serenissimæ subditos sunt capitanei quidam, qui cohortes aliquot militum ad Excellentiam Vestram transmiserunt ac duxerunt, quibus stipendia nondum soluta sunt, ut sub finem hujus scripti adnotabo. Ac aliæ quidem possunt esse rationes aliorum subditorum Serenissimæ Majestatis Suae. Nam, quamvis similes querelæ meæ curæ sint commendatæ, non tamen ideo omnes mihi innotuerunt. Optarem potius non tam uber seges querelarum Serenissimæ Reginae justissimis de causis oblata fuisset. Agam jam tantum eum Vestra Excellentia de iis quæ libellis Admiralitatis Curiae confirmatis comprehensæ non fuere, quæque mihi in Regia Serenissimæ Majestatis Suae præsentia commendabantur.

Mercatores Hullenses, Angli, Societatis Stapulariorum, mense maii ultimo præteriti, duas naves onustas lana et pellibus patriis versus Flandriam transmiserunt, quarum priori *Passer* nomen erat, quæ charta partita obligabatur recta Vlissingam petere ut licentia persoluta sine difficultate in Flandriam perveniret. Vlissingæ vero, eum per duos menses detineretur, multis cavillis in chartam partitam excogitatis, ut videlicet aliquo prætextu invento, fisco bona in ea contenta addicerentur, eum veritas prævaleret, gravissimum vectigal bonis imposuerunt vigesimo nummo pro singulo centenarij pondere exacto et persoluto. Alteri navi nomen est : *Gratia Dei*, quam sententia lata fisco addixerunt, quod videlicet citra Vlissingensium licentiam solutionem recto cursu Slusas peteret. Hujus secundæ navis bona proprietarii primi redemerunt auctione facta, pro quorum exportatione Vlissingenses viginti insuper libras exigunt, cujus summæ solutionem, nisi Vestra Excellentia obstet, a paucissimis diebus postulabunt. Petit Serenissima Regina ut bona in utraque nave comprehensa, eum licentiis seu vectigalibus persolutis et adhuc persolvendis, restituantur proprietariis, eum Sua Majestas nullum jus agnoscat eum Vlissingenses in subditorum suorum bona involent aut vectigal aliquod a suis exigant.

Joannes Martson, Anglus, quem eum consorte suo Gulielmo Wadsworth superius citavi, anno 1575 navem quamdam Goudensem Bostonii in Anglia variis mercibus onustam in Hollandiam transmisit, quarum mercium valor 600 libris Anglicis æstimatur : capta autem hæc bona fuerunt a Francisco Jacobson Arge, commorante Bommenæi, qui, præter deprædationem horum bonorum, singularem quamdam violentiam et petulantiam in dictum proprietarium exercuit, qui proprietarius adversarium in jus vocavit, ac secundum leges condemnavit sumptibus 700 florenorum ad justitiæ obtentionem in Hollandiam factis. Cæterum, eum dictus adversarius a iudicibus citaretur, contumaciam suam prodidit ac venire recusavit, hoc argumento causæ suæ injustitiam confitendo. Æquissimum ergo est Excellentia Vestra hominem juri sistat ac ad solu-

ionem cogat, eum legum sententiam subterfugiat ac Bommenæi consistat, Vestræ Excellentie istie inserviendo.

Thomas Laurence transmisit Brugis versus Angliam vas quoddam albo filo onustum, pro quibus mereibus salvum conductum a Vlissingensibus prius obtinuerat, quæ merees tempestate quadam navi submersa in ipso portu Brugensi ferme perierant, quæ ex aquis recuperatæ magno sumptu ab eo Laurentio exsiccabantur. Ipse vero, cum ultimo aprili ad Vlissingengens ab Adventurariis Mercatoribus pro navibus societatis arrestatis mitteretur, allocutus est Admirallium qui, audito infortunio quod dictis mereibus acciderat, liberaliter annuit licere, videlicet ipsi dictas merees illius venia ex Flandria salvas in patriam transmittere, unde Laurencius dictus has merees vasi impositas Brugis in navem coniecit, cui Gulielmus Hawood præfuit : quæ navis cum omnibus bonis in ea contentis ultimo maio a Vlissingensibus intercepta fuit. Filum hoc album proprietario 65 libris Flandris ac 15 sollidis constitit ; vasi vero in quo filum fuit, nota in margine apposta erat. Quocunque jure reliqua fisco addixerunt : hæc certe merees hoc vasi contentæ præter omnem æquitatem proprietario ereptæ restituendæ sunt.

Georgius Clifforde, Serenissimæ Reginæ domesticus, ultimo martio ex Anglia versus Belgium 98 dolia cervisia repleta transmitti curavit in navi quadam Dunwigensi, cui nomen erat *Christi Gratia*, pro ejus cervisiæ valore restituendo honoratissimus vir Dominus Walsinghamus ad Admirallium et Governatorem Vlissingensem scripserat ; sed proprietarius nihilum recepit : æstimatur autem cervisia hæc 100 libris Anglicis, præter 15 libras, quarum æstimatio in aliis bonis dicti navi inditis simul erepta fuit. Jus quod Vlissingenses ad horum honorum confiscationem prætendunt, Serenissima Regina injustissimum affirmat.

Inter alios quorum querelas Serenissimæ Reginæ Consilarii Vestræ Excellentie commendant, negotium Georgii Suthauk imprimis Vestræ Excellentie commendant ac petunt hominis bene de se meriti Vestra Excellentia rationem habeat, nec ruinæ ipsius author sit : omnibus enim consideratis, non existimant honoratissimi Consilarii tam atrocem illum commisisse culpam ut tam extremo jure eum illo agatur. Certe Vestra Excellentia negotia magna cura honoratissimis consiliariis commendavit, unde merito obtestantur Vestram Excellentiam afflictissimo viro favorabilem se præbeat.

Joannes Barekerus, mereator Ipswicensis, in superiori anno, cum merees quasdam anglicas in Hispaniam transmitteret mense aprilis, in naves quasdam Excellentie Vestræ incidit, quarum nautæ certos pannos illi eripuerunt ad valorem 200 librarum Anglicarum : quem valorem aut merees illi ereptas eum restitui sibi postularet ultimo februario, nihil obtinuit præter cavillationes de industria a Vlissingensibus excogitatas, in quibus ingeniosos se præbent : finxerunt enim isti Vlissingenses, eum in navem istius Joannis Barkeri incidissent, contumeliosa verba nauclerum in Vestram Excellentiam protulisse, quæ causa fuit ut navem ereptione dictorum pannorum muletarent,

quasi verisimile esset nautas undique cinctos armatis navibus voluisse tali petulantia potentiores provocare. Sed quid non est quod Vlissingenses non fingent ut bonorum præterant confiscationem? Certum vero est jure jurando a quolibet eorum qui tum navi hae ferebantur exacto et præstito nihil tale dictum fuisse, unde justum esse existimat Serenissimæ Reginæ ut ablata ea proprietario restituantur.

Robertus Eliott conqueritur quod, cum pulverem tormentarium, victualia et similia bello necessaria urgente eorundem inopia Hollandis divendiderit, pro quorum solutione Status se obligarunt, nihilum receperit ejus summæ quæ solvenda restabat, quæque ante annos duos debita fuit. Apparet autem ex ipsis Statuum obligationibus restare 405 libras 2 sol. 2 denar. Æquissimum certe est ut quæ a tam longo tempore solvi debuerant, tandem solvantur.

Humfredus et Edwardus Martini, fratres, Zelandis Statibus 2000 florenorum nullo fœnore reddendo, mutuo dederunt, quæ summa illis reddenda erat 26 aprilis ultimo præteriti. Cum autem superiori mea ad Excellentiam Vestram protectione Vlissingensibus scripta quædam proposuissem, inter alia hujus debiti mentionem feci: quo tempore mihi responsum fuit sub discessum meum nondum tempus solutionis advenisse, ac hæc quidem et dicta fuere et scripta, eum ex obligationibus ipsis liquido appareret 26 aprilis solvendum mutuuum fuisse. Illi vero hæc responderunt 27 maii, spondebant tamen solutionem: hoc autem julio, eum debiti solutio postularetur, responderunt proximo novembri se soluturos, quæ tergiversatio damnosa creditoribus est et arguit debitores tempus de industria ducere. Obtestantur vero creditores Vestram Excellentiam ut hujus summæ solutionem procurare dignetur.

Ultimo loco sunt quorum querelas primo loco recensere debuissem, militares viri ac capitanei Thomas Morgan, Joannes Morris et Agar, qui cohortes aliquot militum ad Excellentiam Vestram ex Anglia magnis suis impensis in Hollandiam transmiserunt, qui ob sumptus immensos factos, dum Excellentiam Vestræ operam suam navari studuerunt, recompensatione non facta, ad extremum sunt redaeti, dum suis creditoribus solvendo non sunt, unde legibus obnoxii in magno discrimine versantur. Hi igitur stipendorum solutionem postulant, quorum postulata honoratissimi Consilarii tanto majori studio Vestræ Excellentiam commendant quod laborantibus Hollandiæ rebus subvenerunt, unde laborantibus illis nunc penuria succurrendum est.

Ac longe quidem plures querelæ sunt subditorum Serenissimæ Reginæ de Vlissingensibus conquerentium, quarum hic mentionem non facio, quod singula membra minus certe probare in præsentem possim. Rem gratam et æquam Serenissimæ Majestati Suae Vestra Excellentia faciet, si intelligat Sua Majestas Vestræ Excellentiam studium in satisfactione suis procuranda sicque reipsa experiatur a similibus malis Vestram Excellentiam suis subditis imposterum præcavisse: aliter, Serenissima Regina incolumitati subditorum suorum provideat necesse est.

Dordraceo, XII julii 1575.

TOME VII.

(Record office, Cal., n° 226.)

70